

MULTPLICAMINI

WOLFGANGI FRANZII
S.S. THEOL. D.
ANIMALIUM
HISTORIA SACRA.

in qua
Plerorumque Animalium
præcipuæ proprietates in
gratiam Stud. Theol. ad usum
luceroν αγικον breviter
accommodantur.

EDITIO NOVISSIMA
prioribus correctioni.



AMSTELODAMI
Apud Ioan. Ianßonium
Anno M.DC.XLIII.



A N I M A L I V M
H I S T O R I A
S A C R A,

In qua

Plerorumque Animalium præcipuae
proprietates in gratiam Studiosorum
Theologiae, & Ministerorum Ver-
bi ad usum εἰκονολογικόν, bre-
viter accommodantur.

*In Academiâ Wittenbergensi ante
annos aliquot dictata à*

WOLFGANGO FRANZIO
SS. THEOL. D.

Iam denuò emendatius & correctius edita;
triplici indice, scilicet Capitum, rerum, &c
loconum è Scripturâ, nec non
adagiorum aucta.

E D I T I O Q V I N T A.



AMSTELODAMI

Apud IOANNEM JANSSONIVM
Anno Christi cccccc xliii.

C A P V T. X I.

De Monocerote & Rhinocerote.

INtio duo sunt expedienda: 1. *Utrum in rerum natura sit Unicornis.* 2. *Utrum Monoceros & Rhinoceros sint unum & idem.* Quod primum attinet, doliissimi aliqui viri negarunt esse in rerum natura unicornem, quem putarunt asinum Indicum esse, sicut tales quosdam asinos Indicos & uno cornu praeditos reperiiri testantur probati autores. Verum cum S. Scriptura eruditas imagines passim ex natura Monocerotis sumptus usurpet, & tum ad pios, tum ad impios, tum ad ipsum Christum accommodet cum singulari doctrina & consolatione, necesse est in rerum natura esse unicornem. Huc accedit, quod gravissimus Author *Julius Cesar Scaliger* in suis exercitationibus contra Cardanum citat testimoniun amici sui cuiusdam, qui vidit unicornem. Ad secundum quod attinet, apud Hebreos est vocabulum Rheem ῥημ quod significat Vnicornem & simil Rhinocerotem, sicut & alterum Rum ῥομ utrumque simul denotat.

Hinc factum est, quod multi Monocerotem & Rhinocerotem pro uno & eodem animali acceperunt. Verum Julius Cesar Scaliger in Exercitationibus tum proprio suo tum amici sui fide digni testimonio confirmat, aliud esse Monocerotem, aliud Rhinocerotem; Et quidem Monocerotem habere unum cornu in media fronte, sed Rhinocerotem habere genuinum cornu, unum in fronte pusillum, alterum in nare robustissimum, à quo secundo etiam nomen suum accepit. Cum vero in lingua sancta idem animal unum habet nomen, libuit uno capite explicare utrumque, ut utriusque proprietates conjunctim applicare illis rebus ab ipsa scriptura applicatis.

D

Mon-

*Monoceros seu unicornis est animal magnitudine equi,
& quidem reliquo corpore valde simile equo, ha-
bens barbam hircinam, caput cervi, cervicem jubaram,
pedes Elephanti, caudam suis, unum cornu nigrum, me-
dia fronte duorum cubitorum magnitudine: sed Rhinoceros
etiam est grande animal & fermè tam altum
quam longum, sed brevia crura habens & duo cornua,
ut dictum, in primis in nare. Propter magnitudinem
vel altitudinem utrumque habet idem nomen ab
Hebraico themate. *Ram*, quod significat altus fuit,
sublimis fuit, exaltatus est, elevatus est, &c. Porro
Rhinocerotis cornu admodum est durum, & ab ipso
vehementer acuitur, & limatur ad saxa, quoties se-
se preparat ad certamen. Naturale enim est odium
inter *Elephantum* & *Rhinocerotem*, ita ut invicem
certent, & quidem in ipsa pugna Rhinoceros uni-
cè dat operam, ut alvum Elephanti tanquam par-
tem molliorem petat, sicut etiam tandem vincit
Elephantum, contra quem suo cornu, quod in na-
tri habet, audacissimè pugnat. *Tergum* etiam habet
scutulatum, & quasi variis clypeis munitum, unde
etiam estimari potest fortitudo hujus bestie. *Hac-
bellua* (Philippus Cam. ex Iovio in capite 25. lib.
1. succis. inquit de *Rhinocerote*) paulò humilior
est *Elephant*, si altitudinem speles, sed longitudine
prope par, nostratis bubali formam referens: nam un-
gulas habet bisulcas, verum tergere buxei coloris,
eoque ab impenetrabili duritate duplicato, tanquam
perpetuo thorace protegitur, armaturque pedali
osseo cornu supra nares eminente, quo ferire sub
utero atque transfodere *Elephantem*, peculiarera
hostem suum solet, si tamen injectæ ad collum &
ocissime strangulantis proboscidis vim effugiat.
Nam in congressu perpetuæ simultati aut parta vi-
toria aut certè decora morte satis facit. Hæc mera
armaturæ istarum belluarum apparuit, quum Em-
manuel Rex Portugaliæ Rhinocerotem Romam
mittere constituisse, qui tamen in naufragio, cum
esset*

eret compeditus & ad miraculum usque natando evadere conatus fuisset, in Ligustricis scopulis periit. Ferunt hanc Rhinocerotem (pergit ibidem Iovis) quum ab Oceano Vlixponensi in portu exponeretur, aspectu atque odore suo elephantum, qui tum erat in regia, usque adeò truculenter terruisse, ut Elephas ipso naturæ miraculo præcipuis hostis, concepto incredibili pavore septum cornu, ferreis ingentibus clathris permunitum, humerorum & capitis præcipiti impulsu pertuperit, & in longam se proripiens fugam, terribilique barritu edito stridens & furens cuncta obvia prostraverit.

Ad Monocerotem quod spectat. 1. habet & ipso cornu bicubitale, intus candidum & splendidum, sed foris nigrum propter corticem, quo tegitur. Hoc autem cornu non est cavum aut levè instar aliorum cornuum, nec planum & æquabile, sed vel ferreâ lima asperius, in multas spiras revolutum & in mucrone quovis telo acutius, ita ut quicquid petat, facile suo iactu pertereberet. 2. Deinde utsunque savum hoc sit animal, tamen sexum foemineum veneratur, & ad foeminas accedit, & juxta eas in somnum resolvitur, & ita delapsum sœpè capit, & ligatur, donec tandem cornu ejus resecetur. Juvenem igitur robustum vestibus virginis induunt, & aromatibus conspergunt & constituent in vicino aliquo loco, unde odor cum ære perveniat in nares bestiaz. Interim ergo dum ipsi venatores occultantur, accedit bestia ad juvenem, qui odoratis & amplis manicis oculos ipsius tegit, ut venatoribus liceat accurrere.

3. Robore corporis Monoceros est propemodum inexpugnabilis, & maxima valet pedum celeritate, & tanta in eo est ferocia ut desertissimas regiones, & montes altissimos incolat, & sicut Job. cap. 39. v. 12. monet, nullus vel rinculus vel beneficium aut arte cicurari possit, cum tamen Leones, & Tigres, & Pardi cicurentur.

4. Cornu Monocerotis extiriam ac singulararem habet vim, & facultatem resistendi venenis. Immò aqua etiam si veneno quodam corrupta, si hoc cornu attingatur, salutaris dicitur fieri. Et olim dientes & principes ex hoc cornu pocula confidere, aut certè partem aliquam poculis inferere solebant. & nunc quoque plerique medici ejus usum in medicamentis mirificè commendant. Hæc enī recitata est præcipua summa descriptionis, qua de Monocerote & Rhinocerote traditur: nunc imagines breviter sunt addenda.

I. Et quidem Nazianzenus oratione 13. habita post redditum, Monoceroti comparat Philosopum. 1. Quemadmodum enim Monoceros amat solitudines: ita quoque studiis literarum tractandi consecrati unicè exceptant gratos secessus. 2. Et quemadmodum Monoceros altissimos montes amat: ita quoque Philosophi debent despicere res terrenas. 3. Et sicut Monoceros gaudet libertate, neque potest duci sub præsepe: Ita quoque Philosophus non debet esse servum pecus, habitare in alterius cerebro, & in aliorum gratiam recipere & mutare sententias.

II. Nemini ignota est imago illa, quæ in Psalmo 22. 22. extat, ubi Christus hostibus savissimum undique cinctus flebiles querelas instituit de ipsorum ferocia, eosque leonibus & unicornibus comparat. Sic etiam inquit: Salva me Domine ex ore Leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. Hac imagine principaliter ob oculos proponitur ferocia & crudelitas illorum, qui crucifixerunt Christum. Verum apertissime potest accommodari ad omnes hostes Evangelii, qui confisi suz potentiaz & robori, crudelissimè persequuntur Ecclesiam. 1. Sicut igitur unicornis est animal savissimum, ita hostes Christi sunt ferociissimi. 2. Et sicut hoc animal est robustissimum: Ita quoque hostium potentia longè superat potentiam Ecclesie. 3. Et sicut Monoceros non patitur

sic facile vivum capi, neque etiam potest mansueri, sicut ex capitulo 39. Iobi confit: ita hostes nulli neque divinis neque humanis beneficiis placari & mitigari atque converti volunt. 4. Et sicut Monoceros in solitudinibus degit, & fugit commercia reliquorum animalium: *Ita quoque hostes ad Ecclesia societatem secessu adduci non patientur, sed summo odio Dei & Ecclesie grauiantur adversus Christum & adversus membra Christi.*

III. In aliis locis Ecclesia & politia Iudaica comparatur cum unicornibus. Nam Num. 23. v. 22. sic dicitur: *D e u s educit illum de Egypto, cuius fortitudo simili est Rhinocerotis.* Et haec ipsa verba repetuntur Num. 24. vers. 8. Item Deut. 33: vers. 17. *familia Joseph comparatur cum cornibus Rhinocerotis.* Et Psalmus 75. vers. 69. Item 92. *petit & optat exaltari suum regnum, sicut cornu unicor- nium.* In genere tamen potest haec esse imago Ecclesie piorum & regnorum sanctotutum, quae unquam fuerunt, aut futura sunt. Absque dubio autem cornu significat potentiam & fortitudinem, item defensionem & præcipuum decus, item veram Dei agnitionem, fidem, invocationem, presentiam & auxilium Dei. 1. *Quemadmodum igitur unicornis inse- gne habet cornu, quo se potest defendere adversus omnes infidias & injurias: ita quoque Ecclesia sa- lue & decus consistit in agnitione Dei, invocatione, presentia Filii Dei.* 2. Et quemadmodum cornu unicornis resistit venenū: *Ita quoque agnitus & invocatio Dei resistit omnibus vitiis.* 3. Sicut autem unicornem venatores in primis propter cornu infellan- tur: *ita certum est, Ecclesiam in hac vita pati affi- giones, odia & mortem propter cornu suum, hoc est, propter veram agnitionem & invocationem Dei.* 4. Verum sicut unicornis non patitur se faciliter capi vivum, neque eripi sibi suum cornu: *Ita Ecclesia summam debet attribere constantiam, inter ipsa pericula & certamina, ne amittat suum cornu,*

hoc est, agnitionem & invocationem veram. Hæc capita collationum uberioris poterunt tractari, & addi potest narratio, quæ extat in quadam oratione lib. 3. declam. Philippi, ubi dicit, se vidisse picturam Ecclesia sub imagine unicorni stantem, ubi tantum dimidio appareret; mox vero tuto corpore conspicetur, circa quem fuerunt varia bestiarum forma. Pardi, Elephanti, obstreperentes unicorni, qui tamen intrepidus & reditus constitit inter reliquas savissimas bestias. Additur igitur ibi, sic Ecclesiam interdum esse illustriorem, interdum obscuriorem, & semper habere hostes in hoc mundo, quos tamen omnes yincit.

Obiter & hoc notetur, regna terrarum appellari in genere cornua. Sicut enim cornu non est aliqua utilis pars corporis, sed pro defensione corporis data: Ita nisi regna defendant corpus Ecclesie, nihil aliud sunt nisi excrementitia cornua.

I V. Etiam ipse Christus vel regnum ejus jucundissime comparabitur cum cornu unicorni. Licet enim expresse non habeatur in textu Biblico; quia tamen Bileam in Numeris benedicturus Israëli similitudinem capit ab unicorno, & Israël egrediens in Aegypto, indeque revocati, non inepte collationes instituere possumus. 1. Quemadmodum igitur unicornis est animal fortitudinu inexpugnabilis, & in capite cornu habet firmissimum: Ita quoque regnum Christi est invictum etiam contra portas inferorum. 2. Et sicut unicornis suo cornu reliqua anima-
lia exossat & prosternit: Ita hoc cornu C H R I S T I
communivit omnia alia cornua Diaboli, tyranno-
rum & hereticorum. 3. Sicut etiam cornu unicor-
nis est præstantissimum remedium contra omni generis venena: Ita quoque regnum C H R I S T I est
cornu salutis, ut Zach. nominat, in quo peccatum
destruitur, mors aboletur, & vita ac justitia creden-
tibus restituitur. 4. Præterea sicut unicornis sexus fæ-
minino tanquam imbecilli parcit; Ita C H R I S T V S
contri-

contritos corde amat & juvat. 5. Sicut autem unicoris rum venatores, cum bestias, sibi insidiantes acerrimè persequitur: Ita quoque CHRISTVS suo cornu, quod est perjucundissimum & tantum accommodatum ad salutem, hostes suos, qui se se Euangelio opponunt, ita acerrimè persequitur, ut in omni aeternitate nihil expertantur, nisi implacabilem ejus vindictam & inenarrabiles cruciatus, & hac ratione cogantur fateri, non vanas fuisse comminationes: *Osculamini Filium, ne succenscas, &c.* Coronidis loco etiam illud observetur, quod Erasmus Roterodamus in libro de similibus unum simile proponit à Rhinocerote sumtum: *Rhinoceros cornu gerit in naribus: ita quorundam sales dentari sunt & aculeati.* Sed de illis satis.

C A P V T . X I I .

De Equo.

ANIMAL hoc Americani antea non viderant, ideoque putabant ante centum annos hominem insidentem, & equum esse unum conflatum & connexum individuum, illudque vehementer metuebant, ut possit hoc dici animal, quod vicit Indos. Quo enim equi pervenire non potuerunt, ibi semper Hispani ab Indis sunt vesti. Nobis utilissimum est hoc animal, & simul excellens & utilissimum, & primas tenet bellatorium, secundas itinerarium, tertias vectotorum. Bellatorium pulcherrimè describitur Job. 39. 22. 23. 34. 25. 27. 28. ab ipso Deo, his tragicis verbis:

Nunquid prabebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? Nunquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium ejus terror. Terram ungula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armari: contemnit pavorem, nec cedat gladio. Super ipsum